

In quorum omnium testimonium atque robur perpetuo valiturum praesentes conscribi et nostri sigilli munimine iussimus communiri. Datum Pragae anno domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto die vigesimo septimo mensis Januarii, sub testimonio et in praesentia magnifici principis domini Rodulphi Saxoniae ducis, Joffredi comitis de Lyning, Vlrici domini de Hanov, Tymonis de Colditz, Hincanis Berche de Duba, Henrici de Lypa, Vlrici Pflug sudarii, Heymanni de Duba dicti de Nachod, Stephani terrae notarii et aliorum plurimorum fide dignorum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. An Fäden von grüner und rother Seide hängt das etwas beschädigte Reitersiegel des Königs mit Rücksiegel.

No. 420. 1336. 12. Mai.

Der Probst und der Convent des Nonnenklosters zu Döbeln beurkunden Geldzinsen an eine ewige Vicarie in der Domkirche verkauft und die Kaufsumme richtig empfangen zu haben.

In nomine domini amen. Universis Christi fidelibus praesentes litteras respecturis nos Johannes praepositus, Ely. abbatissa, Kath. priorissa totusque conventus sanctorum novae plantationis in Dobelin salutem et orationes in domino Jhesu Christo. Omnium habere memoriam et rem gestam perhenniter memoriae commendare potius divinitatis quam humanitatis existit, et ideo ne ea, quae a nobis rationabiliter gesta sunt, oblivioni tradantur, scripti patrocinio confirmantur. Hinc est, quod tenore praesentium recognoscimus ac publice profiteamur, quod cum nos propter utilem emptionem bonorum in Grunenberg et in Houkendorph^{a)} et appropriationem eorundem conquistam oppressae essemus onere debitorum, quae absque alienatione aliquorum bonorum nostrorum aliquantulum persolvere non possemus, de maturo consilio nostrorum fidelium ac de libera voluntate et consensu omnium nostrum unanimi accedente, censum nostrum XXVI solidorum legalium denariorum situm in Albrechticz^{b)} de agris, quos tenet Arnoldus civis in Lommacz, annuatim solvendum, vendidimus perpetuae vicariae institutae in ecclesia Misnensi in honore gloriosae virginis Mariae, sanctorum Jacobi et Mathei apostolorum ac beatorum Georgii et Dorotheae martyrum, quam discretus vir dominus Heynricus dictus de Crischow habet in praesenti, pro XII sexagenis grossorum Pragensium iusto emptionis et venditionis titulo interveniente cum proprietate qua possedimus multis annis, praesentibus etiam protestantes, pecuniam supradictam totaliter nobis esse solutam et conversam cum summa diligentia in nostri monasterii utilitatem. In cuius rei maiorem certitudinem praesentem litteram scribi fecimus ac nostri sigilli munimine solidari. Testes huius rei sunt honorabilis vir dominus Heynricus de Gubin praepositus Haynnensis, dominus Nicolaus de Koczinrade, dom. Her. de Lubin, dominus Burchardus perpetui vicarii ecclesiae Misnensis, dominus Johannes plebanus in Lubin, dominus Fridehelmus plebanus in Russin, dominus Johannes rector altaris monasterii nostri, Nicolaus de Brûx, Friczko de Sczewicz cives in Dobelin, Thiczko de Albea et Theodericus Magnus cives in Misna et alii quam plures fide digni. Datum Misnae anno domini M^o CCC^o XXXVI^o in die dominica infra octavam ascensionis domini.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Convents an einem Pergamentstreifen.

a) Grünlichtenberg bei Waldheim und das dahin eingepfarrte Höckendorf. b) Vgl. No. 410.